



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. XXIX. Quomodò ex eo, quod Magdeburgenses in prima Centuria confitentur, & quod Paulus ad Corinthios scripsit, conuincatur, leges ecclesiasticas ordinis ac decori, datas esse ab apostolis, ite[m] ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

attendenda est. Nequaquam autem Ecclesiastica disciplina subsistere posset, si non præsul apostolicus illam auctoritatem haberet de canonibus, quam supra retulimus. Nam præcedentium patrum statuta, ecclesiasticam disciplinam non tam instruerent, quam confunderent, si nulla ratione à successoribus eorum immutari possent, cum tamen necessitas temporis nunc mitti, nunc seuerius incedendum persuaderet. quod illum non latebit, qui præcedentium patrum & subsequantium statuta diligenter inuestigare curauerit. Nempe si beatus Gelafius numerum annorum, quos sui antecessores singulis gradibus præfixerunt, immutare non potuisset, penuriam clericorum sui temporis per presbyteros, etiam laicis infra annum maturatis, nullo modo succurrisset. Item, si moderni pontifices antiquorum rigorem canonum super lapsos sacerdotes remittere nequiuissent, ipsa Christiana religio, destituta sacerdotali officio, penitus stare non posset: cum iam penè nulli sacerdotes, nisi criminaliter lapsi, reperiantur, quos antiqui canones deposuisse leguntur. Hactenus Igmarius de potestate pontificis in dispensandis canonibus non solum conciliorum, sed etiam apostolorum. Canones enim apostolorum hic author dicit, cum canones antiquos dicit, ut exemplo canonis 25. docuit, qui in crimen fornicationis, aut periurij, aut furti lapsum deponi iubet. Sic itaque de ecclesiasticis legibus, quæ ad conseruandum ordinem & decorum datæ sunt, habendum est, eò quidem illas spectare, ut plerumque fiat, aut non, quod iubendo aut vetando sanciant: quandoque verò, cum aliter rebus, temporibus, locis, personis in Christo consulendum est, locum non habeant. Hanc enim esse naturam ordinis & legum, Plato etiam, ratione naturali docente, affectus esse videtur, cum ait libro 10. de legibus, ordinem & leges eò spectare, ut partim quod volunt, maiore ex parte sanciant: partim nihil penitus sancire possint. Hinc error Magdeburgensium, qui hos canones sanctorum Apostolorum negant: quia nimium (inquiunt) sit in eis usus excommunicationis: tollunt enim distinctionem temporum & rerum. ut cum iubet canon, Si quis Clericus in caupona manifestò deprehendatur, poena sit excommunicatio. Etenim si omnes fideles, quæcumque sunt *ἡ φημι*, id est, bonæ famæ, facere oportet, ut Paulus Apostolus Philippenses hortatur: quanto magis clericos, qui exemplum & formam debent esse laicis: non enim bonæ famæ est, inuitari laicos exemplo Clericorum ad cauponas, ubi gulæ indulgeri solet. Sed hoc malum, leuius iam factum est frequentia. Quæ autem parua videntur, & frequentia sunt, non oportet poena excommunicationis sanciri, nè homines contemnere leges assuescant. tempore autem Apostolorum grauius erat & rarius, idcirco hæc poena par culpæ esse videbatur: quæ quidem disciplina illius temporis regrebat.

Canonum ecclesiasticorum ratio, & propositum.

Quædam canones ecclesiastici locum non habeant.

Natura ordinis & legum, auctore Platone.

Quo Magdeburgenses negandis canonibus apostolorum distinctionem rerum & temporum tollat.

Cur quædam olim poena excommunicationis sancire liceret, quæ iam non liceat.

Quomodo ex eo, quod Magdeburgenses in prima centuria confitentur, & quod Paulus ad Corinthios scripsit, conuincatur, leges ecclesiasticas ordinis ac decori datas esse ab Apostolis. ite singularim de quibusdam Canonibus Aposto-

stolorū, quos ex loco Apostoli ad Corinthios necessariò cōcluditur, ab Aposto-
lis traditos esse, & vnde nati sint canones isti, et quis eorū finis et vsus: rursus
singulatim de alijs canonibus Apostolorū, pertinentibus ad locū Apostoli in
epistola ad Corinthios de mysterio sacræ Eucharistiæ, ritè celebrando: et
quid in eo Corinthij peccarent, authore Cyrillo, et quomodò id Paulus et ca-
non Apostolorum correxerit. Cur Apostoli omnes canones ecclesiasticos,
quos postea Synodi consecuta, tanquam ecclesiæ necessarios, ediderunt, non
composuerunt, et de exemplo Platonis rationi consentaneo, et quorsum spe-
ctent leges ecclesiasticæ instar legum ciuiliū: et quid de eis diuinus Plato
scripserit, et quò qui canones Apostolorū negare audet, plus Platonis, id est,
rationi naturali, quam Apostolis, ab spiritu sancto eruditis, tribuat. Cap. 29.

Sed agè iam, quo magis veritas Canonum Apostolicorū appareat, ope-
ræ precium est, vt singulatim de quibusdam explicemus. Cùm igitur
Magdeburgenses libro secundo centuriæ primæ, cap. 7. Apostolos con-
fiteatur cæremonias ad ædificationem ecclesiæ, & ad bonum ordinem ac
decorum ordinasse, ad idq̃ probandum locum citent ex cap. 14. epistolæ
prioris ad Corinthios, qui est totus de ordine loquendi linguis in ecclesia,
& prophetandi, siue interpretandi, vt tunc ratio & vsus ac necessitas eius-
modi charismatum, quæ erant frequentia, poscebat: percontemur eos, an
credant, fuisse tunc alia à sanctis Apostolis ordinata, ad ordinem & decorū,
vt ipsi dicunt, necessaria: quæ omnia satis improprie cæremonias ijdem vo-
cant: Cæremonia enim ad cultum Dei adhibentur: aliud autem est cultus
Dei, aliud ordo & decorum eorum, quæ in ecclesia fiunt: quod latius patet:
Quare aliud est constitutio cæremoniarum, aliud constitutio ordinis & de-
cori: profectò non possunt negare, ordinasse alia, præsertim cùm ipse idem
Apostolus totum illum locum his verbis concludat: Omnia autem hone-
stè siue decenter fiant in vobis, id est, in vestra ecclesia: de ijs enim, quæ in ec-
clesia fieri debent, loquebatur. Atquè omnia honestè & secundum ordinem
fieri non poterant in ecclesia, sine legibus ecclesiasticis: sicut nec in ciuitate,
sine legibus ciuilibus. Vnde diuinus Plato, vt suprà iterum memini, sic in
lib. 6. vim ingenij & naturalis intelligentiæ ac rationis secutus, scripsit: Quic-
quid in ciuitate ordine & lege fit, multa bona parit: ordine & lege fieri, di-
xit, quòd vtrunq̃ ex altero constet. in lege enim consistit cōseruatio ordi-
nis, & in cōseruatione ordinis lex viget. Subiungit deindè Plato: Cætera
verò, quæ vel ordine carèt, vel malè disposita sunt, multa ex eis, quæ rectè sunt
cōstituta, disturbat. Ergò oia decet & ordine facere, quò poterat Corin-
thij, quod eis Paulus præcipiebat, nisi quæ ratio ordinis ac decetis esset, di-
didissent: aut quo modo hoc discere sine magistro potuissent, id est, nisi cō-
positio ordinis & decori, à magistro eodèq̃ Apostolo Paulo illis tradita fu-
isset. An in mōasterio nouitij, nisi à p̃posito regulas monasticæ cōuersationis
acci-

Quò cogitur
Magd. cōstitui-
ri, cōstituisse
Apostolos alia
etiā ad guber-
nationem eccle-
siam pertine-
ntia, præter
ea, quæ ad or-
dinem & de-
corum specta-
bant, quæ ipse
sponte sua
concedunt.

accipiant, omnia in monasterio honestè & secundùm ordinem vnquam facient: aut in ciuitate magistratus, iudices, & reliqui ordines ciuium, si & institutis & consuetudinibus & legibus careat, quid deceat, quid ordo postulet, & quid non, scire poterunt? Quis hoc dicat, nisi sensu cõmuni careat: nisi volumus, positum esse decorum & ordinem in opinione cuiusque, quo nihil stultius: & non potiùs, ratione & certo iudicio constare. An igitur necessariũ fuit, nè quid tunc in ecclesia confusum esset, vt Apostolus in charismate linguarum in ecclesia vtendo, modum & ordinem causa pacis conseruanda præscriberet, & non fuit necessarium, vt multa alia, quæ semper in ecclesia futura erant, ita etiam composita & ordinata essent, vt sublata confusione & decoro atque ordine seruato, pax esset? An minùs, quàm illud, necessarium erat, vt aliquid exempli causa dicamus, ordinare, vt est in 14. canone apostolorum, nè liceret Episcopo, relicta parocia sua siue diocesi, ad aliam profilire, quanuis multi eum cogere: nisi aliqua causa probabilis impelleret, vt si plus vtilitatis in religione illic afferre posset, idq; non sponte sua, sed iudicio multorum Episcoporum ac maximo hortatu. Hæc enim est ecclesiastica lex apostolorum, sanctissima illa quidem & saluberrima: quæ & modum ponit ambitioni Episcoporum, qua nihil potest esse ecclesiæ perniciosius, & iustas Episcoporum translationes ab iniustis distinguit. Hanc legem Synodus Antiochena, vt valde necessariam, nè quando obsolesceret, renouauit. Rursus, an non erat à pace, obedientia, modestia, ordine & decoro alienum, si ministris ecclesiæ siue presbyteris, siue diaconis, siue alijs quibusq; clericis, relicta propria ecclesia, in qua ordinati & constituti sunt, liceret, inuito Episcopo, ad aliam, morã diuina causa, se penitus transferre? & cum reuocati essent, impunè non parerent? an non erat pœna merita, vt qui in ecclesia sua ministrare dedignati essent, & inuito Episcopo suo, in aliena maluissent, ministerio ecclesiastico prohiberetur? & in communione ac societate, tanquàm laici, haberetur? Hoc continet proximus canon, cuius sententia in Nicena Synodo & Chalcedonensi confirmata est. immò ipsa Synodus Nicena hunc canonem apostolorum, in canone suo 16. causa eum confirmãdi citat, vt suprã loco suo docui. Et quid, si Episcopus, ad cuius ecclesiam migrãrunt isti, pœnam vacationis eis decretam pro nihilo ducens, eos inter clericos recipiat? an ordinem & compositionem ecclesiæ non turbabit? immò maximè. Hoc ergò cauet canon, qui sequitur, qui communionẽ huic Episcopo interdicit, vt, qui sit (inquit) *ἰδία καλὸς ἀταξίας*, id est, qui docet nõ seruare ordinem. Satis hic canon verbo ipso *ἀταξίας*, quæ est in ea ipsa re, quã prohibet, significauit, pertinere, quod iubet, ad ordinem, de quo Paulus dixit, Omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis. An non fuerit absurdum, si quis putet, aut hoc malum non vidisse apostolos, neq; cogitãsse, quasi nõ esset in promptu, & vt dicitur, ante pedes? aut vidisse quidem, sed, medicina vt fieret, posteris reliquisse ac reseruãsse, id est, Nicenis patribus? vt iam trecentis auuis, & amplius nullas ecclesiasticas leges, horum vitiorũ

De quibusdã
canonibus siue
gulatim, quos
ab Apostolis
necessariò tra-
ditos esse, ex
loco Apostoli
à Magd. cita-
to planè con-
uincitur.
Cã. Apost. 14.

Cã. Apost. 16.

1. Cor. II.
Quid absurdi
cogatur Mag-
deb. cõcedere,
negatis Apo-
stol. canomb.

emem-

emendatrices habuisset ecclesia. Illud verò omnium absurdissimū est, cūm has leges Canonicas sanctorum Apostolorū ecclesia habeat, quas nullus recorderetur, nec audierit non habuisse antea, & quas semper Catholici per cūctum Orientē & Occidentē coluerunt, & in eis quicquam nouare semper veriti sunt, eas tamen hefterni isti siue hodierni historici poetici negare ausi sunt. Sed obseruemus rursū alia, quæ ad temperationem ecclesiæ, & ordinis ac decori compositionem, & pacem omninō necessarium fuit, vt sancti Apostoli prouiderent: vt quidem prouiderunt. Si enim Episcopus, aut presbyter, aut diaconus meritō propter crimen ministerio ecclesiastico prohibitus, rursū illud impunē auctoritate sua tractare auderet, ecquid insolētius, aut ecclesiæ magis pestiferū, quā non posse ouem scabiosam à reliquo grege separari, & posse contrā vnus exemplo multos perire, cūm potius oporteret vnus supplicio multos seruari? Est autem canon 28. apostolorum, qui hoc, nē fiat, cauet. Item si Episcopus à viris grauibus, & fide atq; auctoritate præditis, de crimine aliquo accusatus, & iterū & secundō ac tertio, à quibus audiendus esset, vocatus venire nollet, & lucrum ex declinatione iudicij reportaret, quid hac impunitate esse aut cogitari posset iniquius & pestilentius? aut quæ rursū magis salutaris lex ecclesiastica esse poterat, quā ea, quæ hoc teterrimum malum emendat? qui est canon Apostolorum 74. qui illū vi & minis cogit, vt vel se curari patiat: vel si perire mālūt, eo pereunte multi seruentur. Canon, qui proximē sequitur, prohibet, nē hæreticus aduersū Episcopum testimonium dicat: immō neque vnus fidelis: quia scriptum sit, In ore duorum vel trium stabit omne verbū. De testimonio autem hæretici rejiciēdo hæc ratio habenda est: in quo enim fuit, sicut Apostolus ait, cor malum incredulitatis discedēdi à Deo viuo, & fallacia peccati obduruit, quomodō credendum est, non esse ei cor discedēdi etiam à fide testimonij? qui, inquam, fidem Deo nō seruauit, quis credat, seruare velle homini? Ab ijs enim, ait Archadius siue Charisius iuriconsultus, exigendum est testimonium, quorum fides non vacillat. Satis verò in reliquis illa fides vacillat, quæ in religione iam lapsa est. De numero autem testium, si apostolus ad Timotheum scripsit, Aduersū presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: quanto magis hoc apostoli in accusatione Episcopi, qui presbytero est maior, ecclesiastica lege sancire debuerunt? Esse enim presbyterum minorem Episcopo, licet presbyteri nomen commune alioquē sit vtriusque, vel hic locus epistolæ ad Timotheum necessariō conuincit. non enim potest alterius iudex esse, qui non sit eo superior. Iam canon 29. cur ab istis apostolorum esse negatur, qui eum nummis obtinuit, vt Episcopus aut presbyter fieret, sic punit, vt Petrus Simonem Magum? Item canon, qui presbyterum, si Episcopo suo catholico contempto, coitionem facit, & aram seorsū tyrannicē ponit, igne anathematis plectit: sicut Deus vero igne illos ducentos quinquaginta, qui in illa aduersū Moysem & Aaron seditione incensum obtulerunt: Cur à

Quid sit oīm absurdissimū in negandis apostolorum canonibus.

Can. Apost. 28.

Can. Apo. 74.

Can. apost. 75

Cur non sit habenda fides testi hæretico Hebr. c. 3.

Quō ex apostolo constat, esse presbyterum minorem Episcopo.

Can. Apost. 29.

*Origo & fi-
nis ac fructus
canonum.*

Magdeburgensibus Apostolorum esse non creditur? Longum fieret, si vellē per singulos canones pergere, quos sancti apostoli, vt pax in ecclesia conseruaretur, & omnia honestē & secundū ordinem in ea fierent, composuerunt. Indē enim nati sunt, & hic eorum finis præstātissimus, & vsus summē necessarius, atq; vberrimus fructus. Quare, etsi hæc pauca proposito sufficere poterant, tamen, quia illa honestē & ordine in ecclesia fiunt, quæ ecclesiasticis canonibus siue legibus disposita sunt: tāgam adhuc paucos alios ex eorum numero, quos idem apostolus in eadē epistola ad Corinthios pauld antē significauit. Postquā enim Corinthios correxerat, qui, vt suprā expli- caui, contra institutionem Domini *ἰεροθεῖας*, id est, cœnas populares pro communione sacra, in ecclesia faciebāt: nisi enim in Domini institutionem illi peccāssent, non opus fuisset Apostolo, illam repetere, si quidem non repetita, corrigi poterat, quod inuicē non expectabant ad concœnandum, si hoc solū peccabant: hoc, inquam, postquā correxerat, & qua conscientiæ præparatione dignē communicandum esset, & quo ordine ac modo concœnandum admonuit, subiūgit: Cætera autem, cūm venero, disponam. Interrogemus hīc iterū Magdeb. quānam suspicantur esse illa cætera, quæ apostolus dicit, quæ eodē pertinebant? Habemus enim nos in his ecclesiasticis legibus non pauca, ad huius magni mysterij administrationem & cultū ritē adhibēdum, diuinē disposita & constituta, vt illud, Nē quid Episcopus aut presbyter præter institutum Domini super altare offerat. Hoc autem institutum in euangelio continetur: & Paulus repetit, cūm ait: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, & quæ sequuntur: de pane tantū & calice offerendis. Canon verō ecclesiasticus apostolorum pœna sancit, si sacerdos, quo tempore in specie panis & vini sacrificium incruentum facit, quicquam aliud super aram offerat, vt Corinthij: qui non solū hoc peccabāt in ecclesia, quod peracto sacrificio, cūm in ecclesia ad manducandum conueniebant, non inuicē expectabant: sed illud etiam, quod eos cibos, quos communi mensæ adhibebant, in altari vnā cūm mystico sacrificio per sacerdotes præter institutionē Domini offerebant. Vndē vsq; ad tempora sextæ Synodi Constantinopoli in Trullo habitæ, cūm in multis ecclesijs sacerdotes oblationi sacrificij incruenti uas adhiberent, quas postea simul cum sacra Eucharistia populo distribuerent, consuetudinem istam, ab instituto Domini & ecclesiastica lege sanctorum apostolorum alienam, canon sextæ Synodi 28. canone prohibuit, & pœna sanxit. Permittit autem canō apostolorum offerre nouas spicas, & uas, & legumina circumfusa molis ad terendum, hoc est, trita: hoc enim significant *χίτρα*, vt beatus Cyrillus author est, sic dicta, *παρὰ τὸ τὸ ἄλοιοι μύλοις περιχῆσθαι*: quia (inquit) non sumus soliti integris granis vesci, sed tritis, vt sint commoda ad vescendum. At hæc quidem, non eo tempore cūm offertur sacra Eucharistia, offerre Deo licet, sed alio, tanquā prim-

*De canonibus
apostolorū ad
cultum mysti-
ci sacrificij
pertinentibus
qui ad eū locū
referēti sunt,
Cætera, cūm
venero, dispo-
nam.*

*1. Cor. 11.
Can. Apost. 3*

*Quid Corin-
thij ab aposto-
lo reprehēsi,
in sanctā Eu-
charistiā præ-
ter institutū
Domini pec-
carent.*

*Quid ex illa
praua consue-
tudine Corin-
thiorū adhuc
reliētū, Can. n
sextæ Synodi
prohibuerit.*

tias frugum, ad agendum gratias ei, qui huiusmodi fructuum munere corpora nostra alit & auget. Permittit item oleum ad lucernas ecclesiarum, & thus ad aram tempore oblationis offerre. hæc lex per vniuersas ecclesias catholicorum Orientis & Occidentis, vsq; ad hodiernum diem religiosè seruetur, quæ vt aliquandò remitti queat, nulla necessitas, nec ecclesiastica vtilitas requirere poterit, vt Eutychanus Pontifex in extrema parte epistolæ ad Episcopos Bæticæ scripsit, vbi hunc canonem, vt antea dixi, nomine Apostolorum citauit. Percontemur igitur Magdeburgenses centuriatores, vnde ecclesia hanc legem accepit, quam consuetudo confirmauit? cui scriptura B. Pauli patrocinetur? quæ ratione ecclesiasticæ vtilitatis ac fide defenditur? vnde, inquam, nisi à sanctis apostolis, qui ecclesiæ catholicæ administratione ecclesiasticis legibus, quas canones, vt sæpè dixi, nominarunt, constituerunt, vt essent omnia decenter & ordinatè disposita. Sed reddamus alia legibus apostolorum sancita, ad propositum locum apta, de ijs, quæ ad mysterium sacræ Eucharistiæ ritè in ecclesia celebrandum pertinebāt, de quibus apostolus cum ageret, cætera dixit se, cum ad Corinthios veniret, dispositurum. An non pertinebat eò, vt pœna sanciretur, vt quidem canone 8. sancitum est, si Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut alius cuius ex ordine clericorum, cum communicandum esset, non communicaret: neq; tamen causam iustæ excusationis afferret? An si hoc eis impunè liceret, hoc exemplo populū à communione non auocarent? & suspicionem in se, cum sacrificium faciunt, mouerent, quasi non ritè sacrificassent? quantum hinc scandali, & periculum ruinæ animarum? An igitur minùs necessarium erat, vt hanc quoq; suā & aliorum apostolorum ecclesiasticam legem Paulus Corinthijs daret, cum cætera, ad eos profectus, vt promisit, dispositurus erat, quàm eam, quæ dicta est, de illis scilicet speciebus in ara tempore sacrificij solū offerendis, quas Dominus constituisset? Præterea, si fideles in ecclesiam ingressi, postquam ibi in ecclesiastico conuentu ad sacrificium, scripturas, id est, lectionem epistolæ, aut prophetiæ & euangelij audierunt, statim recederēt, cum nulla necessitas cogeret non permanere in oratione & communione, an non esset hæc *crasia*? lic enim canon Apostolorum 9. qui id vetat, vocat: id est, perturbatio ordinis ecclesiæ. Quis hoc negare potest aut dubitare? dignus ergo est hic canon sanctis apostolis: & ad illa maximè pertinens, quæ Paulus scripsit se dispositurum de ecclesiæ ordine in sacræ Eucharistiæ mysterio ritè colendo & tractando. de hoc enim, vt sæpè dixi, agebat. Ad hæc, cum ij, qui propter peccatum aliquod graue, ex ecclesia eijciuntur, vt primi parentes ex paradiso eiekti sunt, quia is, qui ecclesiæ præest, indignos eos participatione sanctorum mysteriorum, quæ in ecclesia celebrantur, publicè iudicauit, si quis postea vnà cum eis aut in ecclesia, aut domi oraret, quos adhuc gladius ignis, quæ est excommunicatio, ecclesia prohibet, vt primos parentes ille gladius flammeus, & Cherubin, qui ante paradysum voluptatis ad custodiendam viam ligni vitæ collocatus fuit, ingressu paradisi prohibebant, an

Can. Apost. 8.

Can. Apost. 9.

T 2 non

2. Cor. 1.

3. Cor. 5.

Rom. 16.

non iudiciū ecclesiæ improbare iste videretur, & sapientior esse velle quàm Cherubin? (quod verbum multitudinem scientiæ significat, vt, qui Hebraicè callent, interpretantur) Nec hoc solum, sed etiam excommunicato noceret, nisi eius communionem declinaret: vt nocet ægroto, qui ei medicinam fieri prohibet. idcirco enim ex ecclesia iste eiectus est, vt, cum vitatio ista siue declinatio multorum, satis doloris attulisse isti videatur, sicut Apostolus de incesto illo Corinthio dixit, vt spiritus eius saluus sit in die Domini, tunc in ecclesiam recipiatur. Neq; verò in publica tantum ecclesia cum isto orare ecclesiastica Apostolorum lex vetat, sed domi etiam: q; vbiq; sunt duo vel tres congregati in nomine Domini, ibi ecclesia quædam priuata ac domestica sit, vt Paulus in epistola ad Romanos vocat. Sed hæc hæc haftenus: Opus enim esset integro libro, si propositum esset docere singulatim, quemadmodum hos ecclesiasticos Canones Apostolorum partim scriptura defendat, partim ratio: vniuersos verò prisca consuetudo confirmet, & fides Catholicorum omni tempore vbiq; custodierit. Has igitur ecclesiasticas leges sancti Apostoli ciuitati Dei, id est, ecclesiæ catholicæ, tanquam necessarias, reliquerunt, qui perfectè ab spiritu sancto didicerant, quod ratio insita diuinum Platonem vtcunq; docere potuit. Sic enim lib. 4. de legibus, vt iterum repetam, scripsit: Quicquid in ciuitate ex ordine ac lege fit, omnia bona parit: alia verò, quæ vel ordine carent, vel malè disposita sunt, multa alia, quæ ordinata sunt, dissoluunt. Quis ergo ita cæcus, aut cōtentiosus fit, quin sanctos Apostolos ecclesiæ sanctæ legislatores, multo hæc magis & considerasse & prouidisse credat, & cōfiteatur? Rursus Plato lib. 12. Illa (inquit) quæ ad leges pertinent, si rectè sancita sunt, præcipuam vim inter omnes disciplinas, ad efficiendum meliorem, qui ea discat, habere possunt. Quæ quidem oportet, vt bonus iudex apud se, tanquam aliorum remedia, salutifera seruet: & his tum se, tum ciuitatē emendet: ac probos vt legum, à Platone expli-
 catū est, quod in legibus ecclesiasticis, quæ canones sunt, non ignorarunt Apostoli.

Quare apostoli non omnes ecclesiasticos canones, qui postea editi sunt, nobis tradiderunt.

quidem in virtute firmet atq; augeat: prauos verò ab ignorātia & intemperantia ac timiditate, & vt summatim dicam, ab omni iniquitate, quoad fieri possit, quicunq; curabiles sint, reuocet. Hanc verò tantam vim legum à spiritu sancto discipulos & apostolos non didicisse, sed potius ignorasse vel neglexisse, quemadmodum credere par sit: an non potius qui sic cogitet, à sensu communi abhorrere videatur? Sed dicet fortassis aliquis istorum, qui vndecunq; quærun, quid in has ecclesiasticas leges vtcunq; obijciant, Si leges ecclesiasticas sancti Apostoli dederūt, cur tam multa successoribus facienda reliquerunt? cur potius ipsi, si semel leges dare cœperant, hæc partem absolutam non reliquerunt? Nec hoc quidem rationi consentaneum erat, quod idem quoq; Plato persuadere istis poterit, si quid rationis habere voluerint. Sic enim ille libro 9. cum non ignoraret, multa se præmittere, vt ratio ac necessitas postulabat: Cum iudicia (inquit) in ciuitate rectè, quantum fieri potest, cōstituta sunt, ac iudices postea futuri, benè educati, & omni diligētia explorati erūt, multa ibi eiusmodi iudiciis rectè atq; honestè

nestè cōmittūtur de ijs, quæ alij alijs debeant: vt quid eos soluere, aut pati oporteat, iudicent. Nos verò non sumus repræhendendi, si de plurimis, eisq; maximis, non eis leges sancimus, quæ iudices, partim alioqui eruditi, possint perspicere: & vt cuique culpæ par pœna irrogetur, facere. Igitur, quia, quibus leges damus, non existamus, esse eos huiusmodi rerum iudices omninò imperitos & ineptos, plurima illis committere nos oportet: immò, quod sæpè & dictum, & in superioribus legibus à nobis factum est, descriptionem quandam ac formam pœnarum proponimus, vt exempla iudicibus nunquàm extra ius egrediendi præbeamus. Illud præterea dicendū est, si aut omnes natura sua rectè & compositè viuerent, aut in omnibus scientia esset, neque tunc, neque modò ecclesiasticis legibus opus esset. nunc verò vtrunque falsum esse, non solùm Apostolus testatur, qui ait, legem non esse positam iustis, sed iniustis & peccatoribus: & in alio loco, nō in omnibus scientiam esse: sed etiam philosophi, tametsi veritatem perfectè non cognouerunt, sic enim princeps, & quasi deus eorum, lib. 10. de legibus ait, quæ nos ad verbum interpretati sumus: Nullus hominum est, cui sit facultas à natura data cognoscendi, quæ hominibus ad viuendū in Rep. conducunt, & postquàm cognouerit, amplectendi & perficiendi ea, si quis verò diuina sorte, ea ingenij facultate natus esset, huic nullis legibus ad imperandum animo suo esset opus: nulla enim lex aut ordo præstātor, quàm scientia est. non enim fas est, qui tali mēte præditus sit, vlli hunc parere aut seruire, quoniam potius omnibus præesse, si verus est, & verè natura liber, nunc verò nullus hominum sic est, sed ex parte aliqua parua: quo circa secundus gradus eligendus est ordinis & legis. Et paulò pōst: Leges itaque (inquit) vt appāret, partim propter probos viros componuntur, vt eos doceant, quæ consuetudine ac moribus vti debeant, vt inter se ament: aliæ propter eos, qui disciplinam fugiunt, & intractabili natura sunt: nec vllam operam dant, quin ad omne vitium tendant. Rectè hæc à Platone dicta sunt, quæ, qui ecclesiasticas leges Apostolorum negant, & vidisse Apostolos non cōcedunt: sequitur, vt meliùs Platonem ciuitatem suam composuisse concedant, qui ordinem & leges dedit, quàm Apostolos ecclesiam: ac plus etiam quæ ad dicitur tribuant, quàm spiritui sancto, omnis perfectæ sapientiæ doctori, qui S. Apostolos erudiuit. Vtrunque horum quàm sit impium, miseri sunt isti si ignorant: longè verò miseriores, si intelligere nolunt. Sed quia nimis multa hoc primo libro pro defendendis canonibus complexi sumus, ordiamur iam secundum: vt defensionem epistolarum priscorum pontificum, aduersus eosdem accusatores, adiuuante Deo, patrono veritatis, aggrediamur.

1. Tim. 1.
 1. Cor. 8